

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XXVIII.
De XXXVIII. Capite Gene

seos, ad privatam συζητησιν
proposita

à

SALOMONE GESNERO, S. S.
THEOLOGIE DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi.

De qua

Die 14. Novemb. Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

M. IOHANNES VLRICVS
Torgensis.



VVITTEBERGAE,
Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCI. X.

DISPUTATIO BIBLICA XXVIII

Reverendis atq; Clarissimis Theologis,
Dn. Doctori ÆGIDIO HUNNIO Academiae
atq; Ecclesiae VVittebergensis Professori
& Superintendenti dignissimo &c.

Itemq;

Dn. Doctori DAVIDI RUNGIO in ea-
dem celeberrima Academia Professori
celeberrimo:

*Dominis Præceptoribus ac Promotoribus meis
perpetuum Venerandis, debita observantia
ergo hæc themata Biblica*

offero dicoq;

M. JOHANNES VLRICVS,
Torgensis Alumnus Electoralis.



VVITTEBERGAE

Impressit Typis Melchiorianis
M. D. C. C. X.



Caput XXXVIII. Geneseos.

Thesis I.



SI historia huius capitis Manichæis, Porphyrio, Iuliano & similibus indigna videtur, quæ in sacrum codicem relata sit: attamen usum suum habet, ut quævis alia scriptura Rom. 16, 2. Tim. 3.

Sunt autem sex illius particulæ: prima de coniugio Iudæ: altera de filiorum ipsius connubijs: tertia de incestu Iudæ cum Thamar: quarta de misso à Iuda concubitus præmijs: quinta de sententia, qua Iudas Thamar ad rogum damnavit: postrema de partu Thamaræ.

3. Quatuor autem potissimum causæ apparent, propter quas Moses istam narrationem de matrimonio Iudæ tam diligenter persequi & hoc loco inserere voluit, cum de reliquorum filiorum Iacobi coniugijs nihil tale annotaverit. Principio enim Iacobum respexit, in quo exemplum hominis & servi Dei varijs calamitatibus verè exercitati proponere instituit. Adeo enim nulla calamitas sola est.

4. Deinde Christi venturi rationem habuit, cuius genealogia integra non esset, si hæc narratione careremus.

5. Iudæorum quoque factum & arrogantiam melius, quam expositis maiorum eius gentis flagitijs & sceleribus, retundere non potuit.

6. Denique verò Ecclesiæ omnium temporum hæc profunt ad institutionem, redargutionem, increpationem & informationem.

Prima capitis particula, de coniugio Iudæ cum filia Sueb.

7. Narrationem de nuptijs Iudæ auspiciatur Moses à notatione temporis, quod ait, & fuit in tempore illo, quæ verba Rabini exponunt, quod præsens historia post venditum Iosephum evenerit.

8. Sed hæc opinio manifestis rationibus refellitur. Cum enim Ioseph, patre in Ægyptum veniente, triginta novem annos sit natus, ut superiore capite est demonstratum, & suo loco apparebit cap. 41. ab ea summa subtractis annis septendecim, quos ha-

bebat cum venderetur, remanent anni X XII, qui inter venditionem Iosephi & descensum Iacobi in Ægyptum effluerunt.

9. Intra tam paucos annos non potuerunt ea omnia, quæ hoc capite narrantur, evenire, ut nimirum Iuda ex una coniuge tres filios suscipere, & duobus successivè uxorem eandem daret, tertijq; cum eadem muliere nuptias ultra tempus differret, eiq; nuru binos nepotes tolleret, & deniq; etiam duos pronepotes ex Phereso in Ægyptum secum deduceret ut cap. 46. 12. traditur.

10. Si proinde non tota, certè pars huius historix ante venditionem Iosephi evenit, & phrasis Mosaica (Illo tempore) εἰς πλάττειν de ætate Iacobi accipi debet.

2. *Quest.*
quare Iudas
à fratribus
discesserit.

11. Deinde ait Moses, *Iudam à fratribus suis discessisse*, cuius secessio- nis Rabini eam comminiscuntur causam, quod reliqui fratres cum viderent patrem continuo luctu confici, culpam in illum, utpote post Rubenum, qui venditioni non interfuerat, maximum natu, & præterea plagij committendi authorem omnem culpam coniecerint, & frequenter cum eo iurgati sint, cur puerum in puteo non reliquisset, ut sedato furore inde extrahi patriq; reddi potuerit. Sed cum initium historix venditionem Iosephi antecesserit, certum est, hanc fabulam nullam fidem mereri.

12. Planissima proinde ratio est, ut dicatur, *Iudam exemplo Esavi de Chananæorum stirpe vxorem ducere & illorum amicitiam contrahere voluisse*, ut uno in loco subsistere posset, cum videret paternam domum incertis sedibus divagari. Inconsulto patre coniugium fuisse initum manifestum est: Rediisse tamen Iudam ad patrem è capite 42. & 43. apparet.

3. *Quest.*
de Odollam
oppido de
Chira &
Suah.

13. Tertia circumstantia est loci, quod Moses ait, *Iudam descendisse ad virtum Ghadullamitem*. Ghadullam autem seu Adullam vel Odollam oppidum est tribui Iudæ attributum Iud. 12. 16. & 15. 35. ubi fuit specus seu antrum, in quo David Saulem fugiens se abscondit, 1. Sam. 22. 1. fit eius mentio 1. Par. 11. 15. 2. 7. 2. Esdr. 11. 30. Mich. 1. 15. 2. Mach. 12. 38.

14. Divertit autem Iuda apud civem quendam Adullamitem nomine Chira, cuius hospitalitas merito commendatur, siquidem nulla fit servitutis & officij mentio, quod illi Iuda pro hospitio præstitisset.

15. Apud hunc Chiram Adullamitem dum agit Iudas amore erga viri

ga viri cuiusdam Chananæi, qui Suah vocabatur, filiam, cuius nomen non expressum est, accenditur, quam etiam ducit uxorem.

16. Cum vox כַּנְעָנִי aliàs pro gentili usurpetur & Chananæum significet, aliàs etiam pro appellativo & mercatorem notet Prover. 31. 24. Chaldæus interpres hoc loco Mercatorem vertit: sed institutum Mosis est ostendere, Iudam vetitas nuptias parasse & amicitiam cum ea gente contraxisse, quæ excidio divinitus erat adiudicata.

17. Interim tamen Deus hoc permisit, ut de impio populo aliqui etiam Ecclesiæ iungerentur, ne absoluto odio tota natio divinitus abiecta censeretur.

18. Porro Adollam in tribu Iuda est, & usq; hodie vicus non parvus (inquit Hieronymus) ad Orientem Eleutheropolis in decimo milliario hoc nomine vocatur.

19. Peperit autem Chananæa uxor Iudæ tres filios, primum quidem הֵר , Her, quod vel nudum, vel devastatorem significat, aliqui vigilem exponunt, alterum וֹנָן Onan, quod nomen vel ab opulentia vel à dolore deductum est, & tertium denique שֶׁלָּה Schela, quæ appellatio vel ocium & cessationem vel etiam felicitatem designat.

4. Quest.
de filiis Iu-
da

20. Addit Mosis ad nativitatem tertij filij hæc verba: *Et erat in Chesib quando peperit eum*, quæ Hieronymus ita reddit, quo nato parere ultra cessavit. Alij sic exposuerunt, & erat in mendacio cum pareret eum: Siquidem כֶּשִׁיב alioquin mendacium significat.

5. Quest.
text. de
Chesib.

21. Sed cum hic non sit scriptum hac forma, manifestum est, quod sit nomen loci Chesib, quem eundem esse, qui Ios: 19. 28. & Iud. 1. 31. vocatur אֶשֶׁב Acsib, vero simile videtur.

22. Sive autem pater sive mater sive uterq; in Chesib fuisse intelligatur perinde est. Cum de coniugibus, qui pro una persona censentur, sit sermo. Licet verbum הָיָה vocis sit masculinæ, cuius fæmininum est הָיָה vel הָיָה vel יָהִי .

Secunda pars capituli de coniugio filiorum Iudæ.

23. Hactenus de coniugio Iudæ, iam de filiorum matrimonio sequitur. Primogenito suo, Hero, Iudas accipit uxorem, de qua gente & familia, non exprimitur, Chananæam tamen fuisse non est dubium, ei nomen Thamar.

A 3

24. Her

6. *Quest.* 24. Her autem fuit malus, vel nequam, iuxta Hieronymum *de Heri ma-* nam Domino, ideo non diu vixit in coniugio, sed Dominus illum *litia & tra-* occidit procul dubio tragico & tali mortis genere, ex quo etiam *gico exitu.* impij Chananæi intelligere potuerunt, illum divinitus interem-
tum esse. Sicut Coræ, Dathan, Abiram accidit Numer. 16. 29.

25. Hebræi putant peccatum Heri simile fuisse sceleri Onani, eò quod simili pœna punitum est. Sed cum *¶* improbus nominatur, omnis generis notoria flagitia contra primam & secundam tabulam intelliguntur, qualia fuerunt Sodomitarum Gen: 13. 13.

7. *Quest.* 26. Hero extincto viduam ipsius Thamarem Iudas copulat al-
de ducenda teri filio, Onano, & præcipit, ut ipse fratri semen suscitet. Vnde *vidua patris* apparet multa lege Mosis sancita in usu fuisse ante legem, sicut *& t. xv. s.* de hac re lex postea per Moſen condita est Deut. 25. 5. ita quo-
que circumcisio Iohan. 7. 22.

27. Ac tamen non erat lex literis consignata, de semine exci-
tando fratri, attamen Deus istam consuetudinem à patribus tra-
ditam observari voluit, eiusq; violationem in Onano peculiari
& immatura, fortè subitanea morte punivit. Psal. 55.

8. *Quest.* 28. Vnde certum est, Deum quidem dies vitæ cuiusq; hominis
de vitæ ter- in numerato habere Psal. 139. non autem per *u. l. 10.* προσωποληψίαν al-
teri terminū vitæ prorogare, nec per absolutum decretum alteri
decurtare: Sed impios suis sceleribus sibiipsis vitam abrumpere
Psal. 34. 22. & 37. 9. & præsertim via meretricis quam scortatores
ingrediuntur deducit ad infernum Prov. 5.

29. Iudas igitur non modò promissionem terræ Chanaan hoc
suo coniugio ad filios è Chanaanæa natos non traduxit, sed in-
super etiam ipsorum nequitia & tragico exitu cum dolore ex-
pertus est, quàm infelicitè cedant sponsalia absq; parentum
consensu & quidem cum infidelibus contracta, ut de mœrore,
quē alioquin afflictiſſimus Iacobus inde hausit, nihil interim dicatur.

9. *Quest.* 30. Onani fœdissimum & audacissimum facinus melius tace-
de fœdissi- tur, quàm exaggeratur. Sed profectò dolendum tantam esse
mo crimine diaboli in filijs tenebrarum potentiam, ut Gnosticis olim per-
Onani. suadere potuerit in eiusmodi immani crimine cultum numinis in-
esse, sicut fœdam illorum consuetudinem Epiphanius hæresi 26.
describit, similemq; humani seminis abusum de Manichæis Au-
gustinus ad Quodvultdeum cap. 46. commemorat.

31. Hoc

31. Hoc verò Onanico scelere omnia monasteria monachorum & falso dictarum virginum ac Iesuitarum, cinædorūq; papitolarum, turpissimè polluta sunt: & quæ sobolem in utero natam medicamentis abigunt; quiq; ne nascatur intercipiunt, eodem homicidij crimine tenentur: de quibus Paulus pronunciat 1. Cor. 6. Nolite errare neque scortatores, neq; molles, etc. regnum Dei possidebunt, & hinc monstruosos & suppositivos illos foetus diabolorum succuborum & incuborum opera originem proculdubio habere in capite 6 Gen. ostensum est.

32. Atq; hinc etiam apparat, Dominum occulta scelera in tenebris patrata observare & punire Psal. 94.

33. Cum autem Dominus Onanum ob flagitium insolito mortis genere è medio sustulisset, Iudas bis stulto consilio viduam proli cupidissimam inani spe nuptiarum cum tertio filio adhuc impubere lactat vers. 11.

34. Textus enim id innuit, quod Thamarem dimittere noluerit, ut suo arbitrio extra familiam suam nuberet, sed pollicitus sit, se tertium quoque illi daturum filium, Selam. Mox autem istius consilij eum poenituit, eam nimirum ob causam, quod existimavit, mulieris culpa factum esse, quod duo filij interierant: quamobrem ne Selah quoque de vita periclitaretur, non dandum illi decrevit.

35. Obstringit itaq; se Iudas mendacij, vanitatis, inconstantiae, falsæ suspicionis, & tyrannidis facinori.

36. Inprimis autem hinc apparet quibus incommodis obnoxia sint vota contra naturam iniuncta, quale erat, quo Iudas viduam proli gignendæ aptam fallaci promissione sibi devinciebat.

37. Ideo Paulus viduas iuniores vult in matrimonio vivere & liberis procreandis ac piè educandis operam dare 1. Tim. 5. 14. Sic enim Dominus ipse instituit, cum diceret, crescite & multiplicamini Gen. 1.

Tertia pars capitis de incesto Iudæ concubitu cum Thamare.

38. Videndum autem porro est, qualem se gesserit Iudas in statu viduitatis. Transacto enim multo tempore mortua est filia Suab, vxor Iudæ. Perperam legit græca versio, mortua est Sauah vxor Iudæ, quam sequitur latina vulgata.

10. Quest.
de consilio
Iudæ quo
Thamarem
retinuit vi-
duam.

11. Quest.
de Bath-
Suab, vxore
Iudæ.

39. Nomen

39. Nomen enim vxoris non exprimitur, nisi quis Bathsuam nuncupatam fuisse existimet, quæ appellatio composita filiam Suxæ significat, sicut Bath-Scheba uxor Vriæ Chetthæi 2. Sam. 11. 3. Idq; virgula $\sigma\upsilon\upsilon\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\eta$ inter duas voces inserta in hebraico textu innuit.

12. Quest.
de tempore
luctus post
obitum con-
iugis.

40. Quod Iudas, vxore mortua, non ilicò novas nuptias parat, sed tempus luctus explet, sicut textus habet, & consolationem admisit Iudas, quæ verba luctum præcessisse innuunt, ex eo intelligimus, à patribus manasse consuetudinem, ut ab obitu coniugum coniuges aliquandiu in luctu & viduitatis statu permanerent, sicut supra de Abrahamo quoque audivimus.

41. Sed cum certum tempus, præsertim viris (mulierum enim alia est ratio) præscribi non possit, æquum est, ut quilibet imprimis suæ continentix vel infirmitatis & deinde publicæ honestatis rationem habeat.

42. Iudas multò fecisset rectius, si exacto luctus tempore vxorem duxisset aliam, quàm quod flammis vagæ libidinis uritur: Iuxta Pauli sententiam 1. Cor. 7. Propter scortationem quilibet habeat vxorem suam: & melius est nubere quàm uri.

13. Quest.
de Thanna
oppido.

43. Iam dum extra coniugium manet, Satanas illum in scortationem demergit. Tempus enim erat, quo oves suas in Timnath tonderet.

44. Est autem alia Vrbs תִּמְנָת , Thimna quæ Thamna Gen. 36. 40. Ios. 15. 10. 57. 1. Par. 1. 51. & Theman Ier. 49. 7. 20. Amos 1. 12. vocatur, in Edomitica regione: vnde dux Theman seu Thamna.

45. Ista verò, de qua nunc, sita est in confinio tribuum Iuda, Dan & Ephraim, Ios. 15. 57. aliàs Thimnathah cum ת locali Iud. 14. 1. Simson vidit mulierem in Thimnath de filiabus Philistinorum. Vnde postea sub imperio Romano Thamnitica præfectura appellationem sortita est.

14. Quest.
de Hira Odollamite.

46. Huc proficiscitur Iudas ad tonsuram ovium, & comitem itineris habet Hiram Odollamitem, cuius supra facta est mentio.

47. Septuaginta legerunt רֹהֵהוּ Rohuhu, quod $\text{\rho\omicron\iota\mu\acute{\epsilon}\nu\alpha}$ pastorè pilionem significat, sicut etiam Hieronymus & D. Lutherus reddere odiderunt.

48. Sed in hebræo textu est Rehuhu quod socium, amicum, & proximum.

proximum denotat. Nec verisimile videtur, Hiram hospitem Iudæ fuisse ipsius servum & opilionem. Quamobrem Onkelus vertit amicum & socium Iudæ: & æqualem fuisse ex eo fit consentaneum, quod arcana illi committit, ut mox sequetur.

49. Thamar nurus Iudæ cum inani promisso se deceptam videret, iniuriam, quæ erat affecta, muliebri astutia ulciscitur. Cum itaq; per suos corycæos explorasset socerum ab Adollam in vicinum oppidum Theman proficisci, & quidem ad condendas oves, quo tempore exporrecta fronte hilariores esse consueverant
15. Quest. de habitu Thamar.

1. Sam. 25.

50. Vestes viduitatis deponit, quæ erant lugubres omniq; ornatu carebant: & induit seu operuit se (hoc enim significat verbum Casah) Bazzahiph, peplo, seu, ut vertit Hieronymus & græci, theristro, Onkelus habet pallium.

51. Fuisse autem Zahiph vestem & capitis velum ex historia Rebeccæ Gen. 24. apparet, quæ similiter Zahiph inijcit capiti cum Isaac illi obviam veniret. Theristrum autem non à terendo, ut Lyra opinatur, sed inde nomen habet quod ἐν δέξει tempore mæsis ad avertendum solis ardorem eo maximè uterentur.

52. Præter theristrum Thamar faciem quoque velo involvit, ne agnosci posset: ut infra vers. 15. manifestè apparet: Græci & Onkelus verbum ita reddunt, quod se ornaverit: ἐκαλλωπίσατο, sed cum facie prorsus obtecta sederit, cæcus libidinis furor in Iuda arguitur.

53. Sedit autem hoc pacto ornata & velata, Bephetach Ænaijam, quas voces Hieronymus & Chaldaus de bivio itineris exponit, græci πρὸς τὰς πύλας ἐναν ad portas Enan, verbum verbo exprimentes. Nam Petach ostium seu ianua est Gen. 18. 1. & 19. 6, Aijn verò est oculus, itemq; fons Gen. 16, 7. & 24. 16.
16. Quest. de loco.

54. Est autem periphrasis, ut plerisq; placet, bivij, eo quod in bivio quasi ostium oculis viatorum aperitur, ut huc illuc prospiciant.

55. Quamvis è circumstantijs illud etiam pateat, Mosen prostibulum hoc pacto describere voluisse, quod apud fontes erat. Ita Prov 9. 14. vocatur ostium domus impudicæ mulieris, ubi se oculis prætereuntium prostituere solet, & Prov. 7. 12.

56. Et fuisse hoc prosedarum seu meretricum prostibulum in
B via

via publica, quæ Thammam ducebat, Moses indicat: unde æstimare licet, quod scortari apud Chananæos pro scelere non fuerit habitum, cum eiusmodi fæda domicilia & loca in regia via & quidem iuxta fontes tolerata fuerint. Perinde ut Delila ad fluvium Sorek habitavit Iudic. 16. 4.

17. *Quest.*
de consilio
Thamar
utrum lau-
dandum.

57. Quod Thamar non libidinis ergò sed amore sobolis corpus prostituerit manifestum est: unde quæritur, quid de eius consilio sentiendum sit?

58. Et sanè grandi iniuriâ tum ab ipso Iuda tum à filijs eius affecta fuerat, æquumq; erat iure divino, ut proximus in familia illam duceret vxorem Deut. 25. Ruth. 4.

59. Sed cum seipsam ulscisci & quidem hoc pacto non debuerit Rom. 12. cumq; non sint facienda mala ut eveniant bona Rom. 3. incestuoso concubitu cum socero suo æquè delinquit ac filix Lothi Gen. 19.

60. Quod autem non ipsa se illi offert aut blandimentis eum allicit, ut solent scorta, Ier. 5. Prov. 7. & 9. Sed accessum eius præstolatur, ea circumstantia ut peccatum Thamaris aliquo modo minuit, ita lasciviam Iudæ, vehementer adauget, & inde apparet, probè cognitam fuisse nurui soceri sui incontinentiam.

18. *Quest.*
utrum Iudas
proprus non
agnoverit
nurum.

61. Nec opus est operosa disquisitione, utrum Iudas proprus non agnoverit vel ex voce vel alijs indicijs nurum suam, quæ illi domestica fuerat. Moses enim disertè dicit: *non noverat quod nurus sua esset*: Et D. Luth. eam addit rationem, quod imaginatio sensum & rationem abalienare soleat: tam cæco nimirum æstu abripiebatur. Ac licet Iudas ignorantia personæ excusetur à tanto, non tamen excusatur à toto, ut veteres loquuntur.

19. *Quest.*
De premio
concupitus.

62. Iudas libidinoso pruritu hoc pacto irritatus mulierem, quam ipse putabat esse scortum, de concubitu compellat: illa non abnuit, munus tamen exigit, non matrimonium, quod se non posse intelligebat, nec etiam appetebat, cum sobolem solummodo quæreret. Etsi aliqui putant illam Chananæorum more Levit. 18. illicitas nuptias appetivisse.

63. Interim non de mercede sed de cæutione sollicita est, ut subsequencia liquidò ostendunt: quæ etiam in re astutia & continentia Thamaris apparet.

64. Sicut ex adverso cæcitas Iudæ, quod præmium postulanti non dat pecuniam, sed hædum caprarum se missurum promittit,
ut ni-

ut nimirum Thamari ansa præberetur pignus exigendi. Hædus
sua lingua Ghedi vocatur, unde græca vox ἀγίδιον & latina hæ-
dulus proculdubio defluxit, & differentia loco additur, hædus
Hizzim caprorum è gregibus.

20. *Quest.*

65. Hanc itaq; occasionem nacta Thamar fidem promisso se ha-
bituram negat nisi pignore dato illud obfirmet: quamobrem pi-
gnus postulat, quod Herabon nuncupatur, quæ vox ἐρραβὼν ar-
rha & arrhabo in græcâ quoq; & latinam linguam inde uescendit.

*de arrhabo-
ne seu pigno*

66. Et apparet subarrhationem itemq; oppignorationem non re-
cens inventum sed perantiquum esse patriarcharum institutum,
quod certa postea lege à Mose firmatum est Exo. 22. Deut. 24.

67. Postulat autem Thamar pignus hædulo caprino longè pre-
ciosius, nimirum ista tria: primò chotam, id est annulum signato-
rium, qui in dextra manu gestabatur & in summo precio habeba-
tur Jer. 22. 24.

21. *Quest.*
de sigillo.

68. Sigillorum itaq; usus & consequenter earum rerum, quarum
gratia sigilla reperta sunt, ut sunt literæ, apochæ, cautiones &c.
pervetustus sit oportet.

69. Alterum pignus est Pathil, quæ vox aliàs filum significat
seu fasciam & ligamentum è filis textum, Iud. 16. 9. Exo. 28. 29.
& 39. 21. 31. Num. 15. 4. Ezech. 40. 3. Græci hic vertunt ὀφθαλμο-
kov armillam: Chaldæus sudarium, qualia erant Pauli Act. 19. 12.

22. *Quest.*
*de Pathil
capitis te-
gumento.*

70. Quod autem sit lineum & textum operimentum capitis
seu vitta Num. 19. cap. 15. patet, ubi pro operculo vasorum è filis
texto usurpatur. Nugæ proinde sunt quod quidam perhibent ve-
teres nudo capite incessisse.

71. Denique baculum pignoris loco sibi tradi postulat. Fuisse
autem eum alicuius precij vel ex hoc ipso apparet. Quemadmo-
dum etiam aureæ pacis, quâ tum Israëlitæ fruebantur, idem est
index. Nam nisi pacata fuissent omnia, non auderet Iudas itine-
ri se absq; armis committere.

72. Cùm Iudas hæc omnia mulieri, quam ipse putabat publi-
cum esse scortum, & imprimis signatorium annulum, tradit, hac
sua vesania non modo illud comprobatur, esse amorem cœcum, sed
etiam istud suo exemplo ostendit, quod Deus homines impæni-
tentes, verbiq; contemtores cœcitate punire soleat Esai. 6. 2.
Thess. 2. Rom. 1.

23. *Quest.* 73. His acceptis pignoribus Thamar sui copiam illi faciens *con-*
an Deus in cepit ei, ut Moses loquitur. Nam Perez & Serah filijs Iudæ ac-
cestu con- censeatur Gen. 46. 12. & alibi.

cumbittum 74. Vnde quæstio emergit, cum Perez seu Phares ex incesto
Thamarae concubitu genitus sit magnus avus Christi secundum carnem
probar verit Matth. 1. 3. 1. Par. 2. 5. & Christus non ex alia profapia homo nasci
& procura- voluerit, annon arcano Dei instinctu, voluntate & consilio
verit. factum sit, quod Iudas cum Thamar concumbit & Perezum pro-
creat, ut nimirum Phares inter maiores Christi esse posset.

75. Respondetur autem quod stuprum & incestum Deus nullo
modo velit, aut approbet, aut arcano instinctu adiuvet: cum De-
us sit non volens iniquitatem Psal. 5, & cum sub gravissimarum
pœnarum comminatione eiusmodi propinquorum commixtio-
nem prohibuerit Levit. 18. & 20.

76. Etsi Deus, qui pro ineffabili sua bonitate etiam malis benè
utitur, ex illicito congressu natum in linea maiorum Christi se-
cundum carnem esse finit. Permittit quidem & non impedit fla-
gitium, ratione finis, quem inde elicit: non iuvat nec approbat
ratione ipsius facti.

77. Nec quia eo honore afficit Pharesum & Iudā ut inter Chri-
sti *πρωτάτορες* sint, ideo incestum honorat. Honore enim & alijs
bonis afficit indignos, non quod impietatem probet, sed ut boni-
tatem suam merè gratuitam declaret Rom. 9. Matth. 6.

78. Ac tamen ad voluntatem & consilium Dei referendum sit,
quod Phareso locus in genealogia Christi datur, minimè tamen
istud ad voluntatem Dei antegressam & absolutam sed ad conse-
quentem pertinet.

79. Iudas enim non Dei instinctu, sed diaboli impulsu insa-
noq; libidinis æstu in hoc scelus prolabitur, quod Deus nihilo-
minus ad eum finem consilio & voluntate sua consequente diri-
git, ut inde Phares Christi avus prodeat.

80. Qui tamen ex legitimis etiam nuptijs nasci potuisset, vel si
natus planè non fuisset, nihilominus Deus pro infinita sua sapien-
tia legitimum modum procurasset, quo ex Iudæ sanguine Messi-
as prodiret. Esa. 40. 13. Iob. 41. 2. Rom. 11. 33. 34. Nam de malo
opere hominū prodit bonum opus Dei. Aug: 1. 22. contra Faust.
cap. 84.

Particula

*Particula quarta capitis de misso hædo & non
inventæ Thamaræ.*

81. Sed ad institutum redeo : consequenter enim narrat Moses, quo pacto Thamar iterum, posito ornatu, lugubres vestes induerit vers. 19, quomodo item Iudas per Hiram Adollamæum miserit promissum hædum & pignora repetiverit vers. 20, quod verò ille eam non invenit, neq; loci eius accolæ quicquam de meretrice sciverint vers. 21, & quod deniq; Iudas eam ulterius inquirere desierit vers. 22. 23.

82. Quod Thamar non manet in prostibulo sed ad pristinum statum revertitur continentia ipsius indicium est haud vulgare.

83. Quod autem Iudas mittit præmium meretrici, ut ipse opinabatur, promissum, mentem eius profanam arguit, qui scelerati promissi servantissimum se præbet, cum obedientia, quam in foederali stipulatione Circumcisionis Deo voverat, rationem prorsus nullam habeat, & pauperum proculdubio memoriam penitus abiecerit, ut Nabal & epulo Luc. 16. 24. Quest. an rectè faciatur Iudas servando stipulationem.

84. Valere enim apud ipsum debuisset Isidori sententia : In malis promissis, rescinde fidem : in turpi voto muta decretum : quod incautè vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. Et scorto dare præmium quid est aliquid quàm scortationi fomenta & subsidia præbere ?

85. Nec amicus eius Adollamæus laudandus est, qui sceleris ministrum se & adiutorem præbet. Non amicus sed adulator est. 25. Quest. quod Adollamæus non fungatur officio probi amici.

86. Nam vera amicitia non est vinculum sceleratorum hominũ sed piorum & honorum Ephes. 4. 2. Cor. 6. & amicitia in malo esse non potest, ut Augustinus ait : Nam amicus, eodem teste, si milis debet esse medico : medicus non amat ægrotum, si non odit ægritudinem : ut ægrotum liberet, febrim persequitur. &c.

87. Insuper etiam homines illius loci vituperatione digni sunt. Aut enim conscij sunt fraudis & sceleris à Thamar perpetrati, ut D. Lutherus existimat, eos esse mulieris amicos, qui consilium suggererint : aut si ignari, cur non diligentius attenderant, quid in sua vicinia & ante fores gereretur, cur verò de scorto & scortatore non accuratius inquirent ? Et si conscij, cur tegunt ? 26. Quest. quod accolæ suum officium negligant.

88. Verissimum enim est, quod Poëta dicit :

*Nam tua res agitur paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires.* Et : claudio vicinus habitans ipse quoq; claudicare discit. B 3 89. Mo-

27. *Quest.* 89. Moses meretricem supra nominavit Zona, de qua voce de vocibus Rabini contendunt, quod non scortum sed cauponariam mulierem significet. Quemadmodum etiam Thargum Ios. 2. 1. de Rahab habet: venerunt in domum Ponedakitha, id est, cauponariae seu eius quae publico hospitio peregrinos excipit. Videtur enim vox Syra & Chaldaea ex graeco $\omega\alpha\nu\delta\omicron\chi\epsilon\omicron\nu$ corrupta esse.

Zonab & Kedeseba. 90. Sed cum Rahab Ebr. 11. 31. nominetur $\omega\delta\epsilon\gamma\alpha$, & hic quoque vocabulum Zona idem significet, manifestum est, quod Thargumica paraphrasis vel ab hebraea veritate recesserit, vel per Ponedocitham intellexerit $\omega\alpha\nu\delta\omicron\kappa\epsilon\upsilon\tau\eta\iota\alpha\nu$ inhonestam.

91. Postea Moses vers. 21. 22. eandem appellat Kedescham, quae vox à sanctitate descendit & scortum notat: Deut. 23, non sit meretrix in filiabus Israël. Sive autem $\kappa\alpha\tau' \acute{\alpha}\nu\tau\iota\phi\upsilon\lambda\alpha\sigma\iota\nu$ ita dicatur, ut plerisque placet, sive etiam quod in idolorum lucis, qui sacri putabantur, plurima exercebatur scortatio, eaq; pro cultu & re sacra habebatur, perinde est.

92. Id quidem certò constat, Israëlitas Astaroth coluisse Iud. 2. 13. & 3. 7. & 10. 6. cui etiam Salomon phanum extruxit 1. Reg. 11. 5. Astaroth autem esse Astarten, quam Cicero, Plautus & alij Venerem vocant, extra dubium est.

93. Quemadmodum etiam de eo non ambigitur, quod foedissima Priapi sacra imitati sint, quorum inspectrix seu abbatissa fuit Maacha 1. Paral. 15.

94. Inprimis levitas & vanitas Iudae notari debet, qui Adullamæo nunciati, quod meretricem non reperisset, respondet, *habeat de levitate sibi acceptum, modò non sumus contentui: ecce miseram hædum, tu autem non in- & vanitate venisti eam.*

Iudæ. 95. Scortatum esse nulli sibi probro ducit, præmium scortationis non persolvisse dedecori fore existimat.

96. Adhæc Dei iudicium & æternam ignominiam nihili facit, famæ iacturam apud scortationis suæ consciam metuit.

97. Hinc abundè apparet Iudam esse hominem impium, qui vel sibi persuadeat, Deum scelera non videre, vel opinetur illum ea non punire. Planè ut psaltes ait Psal. 36. dictum est in intimo cordis mei de improbo, non esse timorem Dei ante oculos eius: & 53, impij illic expavescunt pavore, ubi non est pavor, Deum autem non verentur.

Quinta

*Quinta pars capituli de sententia, quam Iudas
fert in nurum suam.*

98. Exacto trimestri spacio in lucem hominumq; oculos incurrit, quod haecenus latuerat, & publico rumore ad Iudam deferretur, Thamarem esse scortatam & insuper è fornicatione gravidã.
99. Ibi Iudas irato animo, educite eam, inquit, ut comburatur. De qua Iudæ sententia primò quæritur, qua autoritate privatane an publica illam pronunciet?
100. Et quidam existimant, Iudam non ideo hoc pronunciaffe, quod absq; causæ cognitione coram legitimo magistratu illam per lictores ad supplicium rapi voluerit: sed quod in iudicium trahi & per sententiam condemnari postulaverit.
101. Sed vero vicinius apparet, quòd Iudas vel ex publica autoritate, quod esset iudex eius loci, vel ex patria potestate, vel etiam ex vindictæ cupiditate in hæc verba proruperit, deq; Thamarè medio tollenda domesticis suis mandatum dederit: perinde ut supra Gen. 34. filij Iacobi stuprationem Dinæ in Sichemitis privato ausu vindicârunt.
102. Quod autem ab executione & non à causæ legitima cognitione initium fecerit ex illis verbis apparet, *educebatur illa.*
103. Deinde de genere supplicij quæritur, quare Thamarè igni adiudicaverit? Et Rabini censent fuisse illam filiam Melchisedecii sacerdotis, & proinde iuxta legem Levit. 21, filia sacerdotis, cum profanaverit se scortando, patrem suum profanat, igne comburitur, cremandam fuisse.
104. Sed Melchisedek iam dudum in vivis esse desierat, ut Thamar pro filia illius haberi nullo modo possit. Nam Hebræi Melchisedecum aiunt esse Semum, ut Gen. 14. ostensum est.
105. Sem autem post natum Iacobum non diutius quàm quinquaginta annos vixit, ut in capite 25. Gen. est monstratum. Iacobum autem circa tempus venditionis Iosephi centum septem annorum fuisse è præcedente capite patet. Vnde liquidò constat inter mortem Semi & concubitum Iudæ cum Thamar plus minus quinquaginta annos intercedere. Tot autem annos Thamarè tunc habuisse non est verisimile.
106. Quapropter dictæ sententiæ D. Lutherus eam affert rationem, quod Iudas sacerdotali munere inter Chananæos sit functus, & quòd nurus pro filia sit habita, ideoq; ut sacerdotis filia flammis adiudicata.

29. *Quest.*
an Iudas
privata an
publica au-
toritate
Thamarem
supplicio
adiudicet.

30. *Quest.*
cur Thamar
ad rogam
damnetur.

107. Pla-

107. Planissimum videtur, quòd Iudas Thamarem, utpote filio suo Selah desponsam, tanquam adulteram supplicio capitis addixerit. Sicut Deut. 22. 22. 23. coniugatae & desponsatae eadem poena capitis affici iubentur.

108. Vnde apparet, hanc quoque legem per fidelem patrum *διδασκῶν* absq; scripto ad Mosen devenisse, & ab illo literis mandatam esse.

31. Quest.
de pena
adulterij.

109. Sed istud etiam controvertitur, num lex de interficiendis adulteris Deut. 22. 22. 23. Levit. 20. 10. sit politica ad solos Iudaeos tantum pertinens, an moralis omnes homines obligans.

110. Et sunt, quibus gravius videtur supplicium hoc, quam culpa mereatur: & insuper à Christo abrogatum Ioh. 8, cum in adulterio deprehensam dimittit.

111. Sed isti non attendunt, quod Christus Iohan. 8. non agit personam politici iudicis, & ipse negat, se eiusmodi *διδασκῶν* & iudicem esse Luc. 12. 14, quodq; mulierem à poena quidem spiritali non autem corporali, quam magistratui committebat, absolvit.

112. Rectè proinde facit ille magistratus, qui adulterium à coniugatis commissum iuxta legem Levit. 20. & Deut. 22. gladio punit, secundum legem Iuliam, quod etiam constitutione Elect. Sax. observatur.

32. Quest.
de pena
eines
Brauts
schenders

113. Licet persona soluta in adulterio deprehensa mitius puniatur, ut etiam alienae sponsae stuprator: is enim unà cum stuprata virgis caedi & perpetuò relegari iubetur in Ordin. tit. von straff der Unzucht/ fol. 115.

114. Hucusque Thamar commissum facinus dissimulavit, iam cum ad supplicium rapitur, nullum amplius occultandi tempus est, itaq; productis pignoribus socrum suum criminum convincit.

115. Vnum quidem erat, quod promissum cum filio Selah coniugium non praestiterat, alterum, quod ipsam impraegnaverat.

116. Iudas conspecto suo signatorio annulo, & vitta seu petaso, & scipione, utrumq; delictum fatetur, quae ingenuitas & candor commendationem meretur.

33. Quest.
num Iudas
an Thamar
gravius pec
caverit.

117. Quod autem ait, *iustior me est*, id quaestionem peperit, num Iudas an Thamar gravius deliquerit, ut videre est apud Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 61. Cum autem Iudas solutus fuerit

fuerit lege coniugij per mortem vxoris Rom. 7. 1. Thamar verò Selah desponsata, censent eam gravius peccasse.

118. Verùm cū Selah & pater Iudas crimine malitiosæ desertionis sint obstricti, sicut ipse Iudas fatetur, cum ait: *non dedi eam filio Selah vxorē*, manifestum est, personas hoc respectu pares esse. Quæ enim malitiosè deseritur libera est 1. Cor. 7. 15.

119. Ac quod Thamar non libidine, ut Iudas, sed amore prolis incitatur, eo nomine peccatum illius minus quàm Iudæ meritò censetur, quod autem sciens volens incestum cum socero perpetrat, hoc respectu multò gravius, quàm ille, qui ignorans faciebat, delictum commisit.

120. Iudæ autem verba, *iustior me est*, non incestum sed desertionem respiciunt, ea enim parte Iudas cum filio erat reus, utpote desertores, ipsa verò insons, utpote deserta: idq; ipse Iudas verbis immediatè sequentibus innuit.

121. Etsi deniq; laudandum est in Iuda, quod deinceps à Thamar se abstinet, ut Moses vers. 26. ait: meritò tamen eo nomine vituperatur, quod de pœna vel sibi vel nurui irroganda prorsus filet, nec minus accusandus est eius loci magistratus, qui eiusmodi notoriam turpitudinem impunitam relinquit. Iustus enim ut seipsum accusat ita quoque libenter pœnæ submittit Prov. 18. 17.

122. Et studiosior iustitiæ hoc Israëlita fuit Seleucus Locrensiū legislator, qui cum lege sanxisset, ut adultero uterq; erueretur oculus, filio suo in adulterio depræhensio unum, sibi alterum expungi voluit, ut legi satisfaceret. Val. Max. lib. 6. cap. 5. Ælian. l. 13.

Postrema capituli particula de partu Thamaris.

123. Quod incestam Iudæ & Thamaris commixtionem Deus nullo modo probaverit id iam infelix partus abundè ostendit.

124. Etsi enim à solo eventu non est de facto iudicandum, cum pijs æquè contingant adversa ac impijs Psal. 36. & 37. & 73, cumque piæ matronæ Rebecca & Rachel Gen. 25. & 35. non minus, imo altera magis, periculis partus fuerint: obnoxia è peccato tamen antecedente rectissime ratiocinamur, pœnas impijs infligtas, non esse paternas *δοκιμασίαις* & *τιμωρίαις*, sed severi iudicis animadversiones, & hinc porro, peccatum, quo supplicium est attractum, Deo summoperè displicere.

34. Quest.
de non puni-
to incestu.

35. Quest.
an monstro-
sus partus
Thamaris
sit indicium
iræ Dei.

C

125. Quod



125. Quod Moses ait, fuit autem eo tempore, quo parere debebat, ecce gemelli in utero eius, ex eo constat hoc matri & patri fuisse ἀγνωστον & incognitum.

36. Quest. 126. Obstetrix coccineum seu purpureum filum ei, qui manum exerebat, circumligans, primogenitum hoc indicio designat. Principatum enim purpura denotat. Et vox Schani purpureum significat colorem Esa. 1. 18, quem, eo quod purpura sit bis tincta seu dibaphos, sic nuncupatum existimant.

37. Quest. 127. Votum est non vaticinium obstetricis, quod ait, hic primum prodibit, quale etiam supra in partu Rachelis Gen. 35. Fefellit autem Zerah spem mulieris manu retracta.

128. Nam alter gemellorum, Phares, primum prodijt, cui ab hoc impetu nomen est indicum sive à matre sive ab obstetrice & mulieribus presentibus, ut Perez seu Phares, id est, perruptor vocaretur.

38. Quest. 129. Et causa appellationis non est obscura, perrupit enim; 1. fratrem antevertendo, qui prior exiturus videbatur, 2. & in primis alium maternam violentâ hâc agitatione vehementer concutiendo, si non etiam vasa lædendo. Ad secundas ab ipso effractas alijs referre placet: Sed eas Zerah manu exerta prior rupit.

130. Chaldaeus paraphrastes ita reddit: quàm magna est fortitudo tua, ut prævaleres? Septuaginta verò sic: τί διεκόπη διά σου ὁ φραγμός, cur propter te maceria seu interstitium effractum est? quarum interpretationum illa gemellorum in utero situm, ista involucra respicit.

39. Quest. 131. Alter verò, qui postea egressus est, nomen Zerah sortitur, quod ab oriendo factum est, eo quod porrecta & exerta manu prior ortus videretur. Addit Alcuinus eam rationem, quod plurimi iusti ex eo sunt orti, sicut apparet 1. Pet. 2.

132. Conclusionis loco quædam de tota hac historia adijcienda videntur. Cuiusmodi primò est, quod Priscillianistæ multis collectis, præsertim ex veteri testamento fictionis & dissimulationis, exemplis probare sunt conati, licitum esse mentiri & religionis Confessionem dissimulare, ut ostendit Augustinus libro contra mendacium ad Consentium cap. 11. 12. 13. 14. inter alia verò etiam Thamaræ simulationem produxerunt.

Priscillianistæ ut abusi sunt hac historia.

133. Rectè autem eos refellit Augustinus ibidem. Non ideo debent imitanda existimari, quia in eis reperiuntur libris, qui sancti & divini meritò nominantur. Habent enim conscripta & mala hominum & bona: illa vitanda, ista sectanda: & quædam ita posita, ut de illis etiam prolata sit sententia, quædam verò tacito ibi iudicio nobis iudicanda permittit: quoniam non solum nos nutriri manifestis, verum & exerceri oportebat obscuris. Cur autem isti imitandam sibi Thamar existimant mentientem, & imitandum Iudam non existimant fornicantem? Ibi enim utrunque legerunt, & nihil horum scriptura illa sive culpavit, sive laudavit: sed tantummodo utrumque narravit, & iudicandum nobis utrumque dimisit.

134. Deinde Manichæi, ex eo, quod Iacob Gen. 50. Iudam col-
laudat præ alijs fratribus, collegerunt, ipsius cum Thamar in
cestuosam consuetudinem fuisse approbatam. Sicut etiam Chry-
sostomus hom. 62. scribit: nullus hæc audiens condemnet Tha-
mar: nam dispensationi ministravit, & proinde neque ullam inde
reprehensionem meretur, neque Iudas criminibus fuit obnoxius.

*Manichæorum deli-
ria.*

135. Augustinus libro 22. contra Faustum cap. 63. ita respondet: Hinc apparet, inquit, non ad ipsum sed ad Christum, qui ex Iudæ tribu prænunciabatur in carne venturus, Iacobi pertinere prophetiam. Quod verum est: Iacobus enim eo in vaticinio non ipsius Iudæ personam sed potius posteritatem & inde nasciturum Messiam celebrat. Et meritò additur: Iudam egisse seriam penitentiam: Atque tunc peccata non nocent, quando amplius non placent, ut ait Hieronymus.

136. Porro quod Christus inter avos & patres suos est quibus secundum carnem est ortus Rom. 1. & 3. & 9. scortatores, adulteros, incestuosos habet, de eo quidem antea dictum est, placet tamen Augustini quoque sententiam è capite 64. lib. 22. contra Faustum apponere: Fideles Christi, inquit, venturi ex omnibus gentibus etiam exemplo carnis ipsius discere debuerunt, parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse. Proinde sponsus ille suis congruens invitatis, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos, etiam nasci voluit de bonis & malis. Matth. 9. 1. Tim. 1. Matth. 11.

Quod Christus incestuosos in catalogo maiorum suorum habet.

Allegoria 137. Quod deniq; allegorias attinet; quarum illa est præcipua,
huius histo- quod in Phares & Zera duo sunt denotati populi, Iudaicus &
ric. gentilis, & quod primi fiant ultimi Matth. 8. & 20, Act. 13. Ioh.
1. Rom. 3. & 9. Gal. 3. de his consuli potest Augustinus loco
indicato libro 22. contra Faustum cap. 84. 85. 86. &
Theodoretus quæstione 95. & Chryso-
stomus hom. 62.

F I N I S.



AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237



sb.

Wort







TIO BIBLICA XXVIII.

VIII. Capite Gene

ad privatam *συστήσις*
proposita

à

NE GESNERO, S. S.

Æ DOCTORE ET PRO-

e publico, in Academia

Vitebergensi.

De qua

b. Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

HANNES VLRICVS

Torgensis.



VITEBERGAE,

batur Typis Meissnerianis,

D. XCI X.

